

Vormerkung:

Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.

I. Übersetzung

SENECA LVCILIO SVO SALVTEM

2 Rem utilem desideras et ad sapientiam properanti neces-
 sariam, dividi philosophiam et ingens corpus eius in membra
 disponi; facilius enim per partes in cognitionem totius ad-
 5 ducimur. Utinam quidem quemadmodum universa mundi
 facies in conspectum venit, ita philosophia tota nobis posset
 occurrere, simillimum mundo spectaculum! Profecto enim
 omnes mortales in admirationem sui raperet, relictis iis quae
 nunc magna magnorum ignorantia credimus. Sed quia con-
 10 tingere hoc non potest, est sic nobis aspicienda quemadmo-
 dum mundi secreta cernuntur. Sapientis quidem animus
 totam mollem eius amplectitur nec minus illam velociter
 obit quam caelum acies nostra; nobis autem, quibus perrum-
 penda caligo est et quorum visus in proximo deficit, singula
 15 quaeque ostendi facilius possunt, universi nondum capacibus.
 Faciam ergo quod exigis et philosophiam in partes, non in
 frusta dividam. Dividi enim illam, non concidi, utile est; nam
 comprehendere quemadmodum maxima ita minima difficile
 est. Disribuit in tribus populus, in centurias exercitus;
 20 quidquid in maius crevit facilius agnoscitur si discessit in
 partes, quas, ut dixi, innumerabiles esse et parvulas non
 oportet. Idem enim vitiū habet nimia quod nulla divisio:
 simile confuso est quidquid usque in pulverem sectum est.
 Primum itaque, si [ut] videtur tibi, dicam inter sapientiam
 25 et philosophiam quid intersit. Sapientia perfectum bonum est
 mentis humanae; philosophia sapientiae amor est et affectio:
 haec eo tendit quo illa pervenit. Philosophia unde dicta
 sit appetit; ipso enim nomine fatetur quid amet. Sapientiam
 quidam ita finierunt ut dicerent divinorum et humanorum
 30 scientiam; quidam ita: sapientia est nosse divina et humana
 et horum causas. Supervacua mihi haec videtur adiectio, quia
 cause divinorum humanorumque pars divinorum sunt. Philo-
 sophiam quoque fuerunt qui aliter atque aliter finirent: alii
 studium illam virtutis esse dixerunt, alii studium corrigendae
 35 mentis; a quibusdam dicta est appetitio rectae rationis.

II. Sprachliche Erläuterungen

1. Erklären Sie die Konjunktive posset Z. 6 und raperet Z. 8!
2. Erläutern Sie die Wortbildung und kurz die Bedeutungsge-
schichte von philosophia und sapientia!